

V  
g  
914



Gr. 206. 6


V  
g  
914



# PRO=

POSITIONES DIS-  
putatæ Vuittembergæ,  
pro Doctoratu Eximio  
rum uirorum, D. Hie-  
ronymi Vueller, &  
M. Nicolai  
Medler.

1 5 3 5.





THEMA.  
ARBITRAMUR HOMINEM  
IUSTIFICARI FIDE ABS-  
QUE OPERIBVS LEGIS.

DE FIDE.

- 1 Fides hic uera & donum illud spi-  
ritus Sancti intelligi debet.
- 2 Si Paulus de fide acquisita seu Histo-  
rica loqui intelligitur, in uanum  
totus laborat.
- 3 Nam & Sophistæ, etsi rerum ista-  
rum nihil intelligunt, tamen fa-  
tentur fidem istam non iustificare.
- 4 Imo docent, neq; infusam spiritu San-  
cto fidem, iustificare, nisi formata  
sit Charitate.
- 5 Hoc enim palam asserunt, fidem in-  
fusam posse stare cum peccato  
mortali & damnari.
- 6 Sequitur hinc, Si Paulum de hac fide  
intelligas, ipsum de ocioso aut fa-  
buloso Christo prædicare.
- 7 Nam Christus nihilo plus adest uel  
prodest talibus credentibus,  
quam ipsis demonibus et damna-  
tis.

A ij

Cum

- 8 Cum uero Paulus prolixè tribuit iustificationem fidei, necesse est ipsum de istis fidebus (ut sic dicam) acquisita, infusa, informi, formata, explicita, implicita, generali, speciali, nihil dicere.
- 9 Quin & demonibus & pessimis hominibus concedunt hanc fidem acquisitam.
- 10 Oportet igitur de alia fide quadam eum loqui, quæ faciat Christum in nobis efficacem contra mortem, peccatum & legem.
- 11 Et quæ nos non sinat similes esse demonibus & hominibus descendentibus in infernum, sed similes faciat sanctis Angelis & filiis dei ascendentibus in coelum.
- 12 Hæc est autem fides apprehensiuæ (ut dicimus) Christi, pro peccatis nostris morientis, & pro iustitia nostra resurgentis.
- 13 Hoc est, quæ non tantum audiat res a Iudeis & Pilato, in Christo crucifigendo, gestas, uel de resurgente narratas.
- 14 Sed quæ intelligat Charitatem Dei  
patris,

- patris, per Christum pro tuis peccatis traditum, te redimere & saluare uolentem.
- 15 Hanc fidem Paulus prædicat, quam spiritus Sanctus, ad uocem Euangelij, in cordibus audientium donat & seruat.
- 16 Hæc est illa fides, quæ uere infusa dici debet, nec uiribus nostris acquiri (sicut illa acquisita) potest.
- 17 Fides acquisita seu Sophistarum infusa, de Christo dicit, Credo filium Dei passum & resuscitatum, Atq; hic desinit.
- 18 Sed uera fides dicit, Credo quidem filium Dei passum & resuscitatum, Sed hoc totum pro me, pro peccatis meis, de quo certus sum
- 19 Est enim pro totius mundi peccatis mortuus, At certissimum est, Me esse partem aliquam mundi, ergo certissimum est, pro meis quoq; peccatis mortuum esse.
- 20 Fides acquisita habet finem seu usum passionis Christi nudam speculationem, fides uera habet finem & usum passionis Christi uitam & salutem.
- A in Fides

- 21 Fides acquisita stat uelut piger manus sub ascella abscondens & dicit, ista nihil ad me.
- 22 Fides uera extensis brachijs amplectitur læta filium Dei pro sese traditum, & dicit, dilectus meus mihi & ego illi.
- 23 Exemplum huius Paulus ad Galatas de seipso prestat dicens, Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.
- 24 Igitur illud, pro Me, seu pro Nobis, si creditur, facit istam ueram fidem & secernit ab omni alia fide, quæ res tantum gestas audit.
- 25 Hæc est fides quæ sola nos iustificat sine lege & operibus, per misericordiam Dei, in Christo exhibitam
- 26 Pugnans enim ista duo, Christum pro nostris peccatis traditum satisfacere, Et nos ipsos per legem a peccatis iustificari.
- 27 Aut enim ille non est traditus pro peccatis nostris, Aut nos non iustificamur per legem a peccatis nostris.
- 28 Scriptura autem clamat, omnium nostrum



na-  
di-  
le-  
ra-  
hi  
as  
x-  
o  
s,  
n  
es  
t  
n  
r  
i  
na-  
di-  
le-  
ra-  
hi  
as  
x-  
o  
s,  
n  
es  
t  
n  
r  
i

nostrum peccata in ipsum esse po-  
sita, Et pro peccatis populi Dei  
est percussus, Et Liuore eius sa-  
nati sumus.

29 Iustificati autem sic gratis, tum faci-  
mus opera, imo Christus ipse in  
nobis facit omnia.

30 Quod si opera nō sequuntur, certum  
est, fidem hanc Christi in corde  
nostro non habitare, Sed mortu-  
am illam scilicet acquisitam fidem

31 Omnium quidem est auditus uerbi,  
sicut scriptum est, In omnem ter-  
ram exiuit sonus eorum.

32 Sed non omnium est fides ista, sicut  
scriptum est, Quis credit auditui  
nostro?

33 Et omnes qui iactant opera coram  
Deo iustificare, ostendunt sese ni-  
hil de Christo aut fide intelligere.

34 Fatemur opera bona fidem sequi de-  
bere, imo non debere, Sed sponte  
sequi, Sicut arbor bona non de-  
bet bonos fructos facere, Sed  
sponte facit.

35 Et sicut boni fructus non faciunt  
arbo-

A iij arbo-

arborem bonam, Ita bona opera non iustificant personam.

36 Sed bona opera fiunt a persona iam ante iustificata per fidem, Sicut fructus boni fiunt ab arbore iam ante bona per naturam.

37 Tamen & in Philosophia ita habet, q̄ sine & ante omne opus bonum necesse est, rationem rectam & uoluntatem bonam esse.

38 Nec fit ratio recta, aut uoluntas bona ab opere, Sed opus fit a recta ratione & uoluntate.

39 Et artificis Idea non fit a domo uel fabrica, Sed fabrica fit ab Idea, quæ sine & ante fabricam est in corde artificis.

40 Summa, Christus est dominus, non seruus, Dominus Sabbathi, legis & omnium.

41 Et Scriptura est, non contra, sed pro Christo, intelligenda, ideo uel ad eum referenda uel pro uera Scriptura non habenda.

42 Vt serua mandata, sic dominante Christo intelligendum est, serua, in Christo scilicet, uel in fide Christi.  
Diliges

- 43 Diliges dominum Deum tuum etc.  
Scilicet in Christo seu fide eius,  
quia sine me nihil potestis facere.
- 44 Fac hoc & uiues, fac scilicet, in me,  
alioqui non facies, Sed contrari-  
um facies.
- 45 Redime peccata tua eleemosynis, sci-  
licet in Christo & fide eius, alioqui  
peccatum erit Eleemosyna tua.
- 46 Quamobrem eruditissime Epistola  
ad Ebræos, omnibus omnium  
sanctorum operibus præfigit, fide.
- 47 Quia necesse est omnes sanctos in  
promisso Christo omnia uiuere  
& facere, sicut nos in exhibitio.
- 48 Ipse enim est caput & dux iustitiæ &  
uitæ a Deo constitutus, per & in  
quo nos uiuimus & saluamur.
- 49 Quod si aduersarij scripturam urse-  
rint contra Christum, urgemus  
Christum contra scripturam.
- 50 Nos dominum habemus, illi seruos,  
Nos caput, illi pedes seu membra,  
quibus caput oportet dominari  
& præferri.
- 51 Si utrum sit amittendum, Christus  
uel Lex, Lex est amittenda, non  
Christus.           A v           Ha-

- 52 Habito enim Christo, facile conde-  
mus leges & omnia recte iudica-  
bimus.
- 53 Imo novos Decalogos faciemus, si-  
cut Paulus facit per omnes Episto-  
las & Petrus, maxime Christus  
in Euangelio.
- 54 Et hi Decalogi, clariores sunt q̄ Mo-  
si decalogus, sicut facies Christi cla-  
rior est q̄ facies Mofi.
- 55 Si enim gentes in natura corrupta,  
potuerunt de Deo statuere & lex  
esse sibi ipsis, Ro. 2.
- 56 Quanto magis Paulus aut perfectus  
Christianus plenus spiritu potest  
decalogum quendam ordinare  
& de omnibus rectissime iudica-  
re.
- 57 Sicut omnes Prophetæ & patres  
eodem spiritu Christi omnia sunt  
locuti quæ habentur in scriptu-  
ris.
- 58 Tamen quia interim sumus inæ-  
quali spiritu, & caro aduersatur  
spiritui, necesse est etiam propter  
uagos

uagos spiritus, certis mandatis &  
scriptis Apostolorum adhærere,  
ne laceretur Ecclesia.

- 59 Non enim sumus omnes Apostoli,  
qui certo Dei decreto nobis sunt  
in fallibiles Doctores missi.
- 60 Ideo non illi, Sed nos, cum sine decre-  
to tali simus, errare possumus &  
labi in fide.
- 61 Quare non est arrogandum ulli post  
Apostolos hoc nomen, quod non  
possit errare in fide, nisi soli Eccle-  
siæ uniuersali.
- 62 Summa, conclusit Deus omnia sub  
incredulitate, ut omnium miserea-  
tur, Igitur, Misericordis Dei est, quod iu-  
sti sumus, non currentis hominis.
- 63 Operator sit Sanctus, sit sapiens, sit  
iustus, sit quicquid uolet, si fides de-  
sit, sub ira manet & damnatur.
- 64 Quia stat sententia, non aliquorum,  
Sed omnium miseretur, Et sola  
misericordia Dei est iustitia no-  
stra, non opera propria.
- 65 Iustificatio est reuera regeneratio  
quædam in nouitatem, sicut Ioan-  
nes di-

- annes dicit, Qui credunt in nomine eius & ex Deo nati sunt.
- 66 Inde & Paulus Baptismum uocat lauacrum regenerationis & renouationis, Et Christus ipse, Nisi denuo quis renatus fuerit, non potest uidere regnum Dei.
- 67 Ideo impossibile est per opera iustificari, Quia impossibile est nos nasci ex operibus nostris, Sed potius opera nascuntur (sic loquendo) ex nobis.
- 68 Eodem spiritu appellantur iusti, noua creatura Dei & initium creaturæ Dei, qui nos uerbo suo uolens genuit.
- 69 Quis autem ferat hanc blasphemiam, ut opera nostra nos creent, uel ut simus operum nostrorum creaturæ.
- 70 Tunc liceret dicere contra Prophetam, Nos ipsi fecimus nos & non Deus fecit nos.
- 71 Quam blasphemum igitur est dicere, Se ipsum esse sui ipsius Deum creatorem seu generantem, tam blasphemum est, suis operibus iustificari.
- DE

## DE LEGE.

- 1 Arbitramur hominem iustificari si-  
de absq; operibus legis.
- 2 Opera legis necessario sunt, quæ uo-  
cantur merita seu optima opera.
- 3 Alioqui quid esset sentire, hominem  
iustificari sine operibus malis ?
- 4 Paulus loquitur de lege simpliciter  
& uniuersaliter, maxime de mo-  
rali seu decalogo.
- 5 Qui uero putant eum de Ceremoni-  
ali loqui, toto cœlo errant.
- 6 Clare enim allegat legem moralem  
Cap. 5. Concupiscentiam nescie-  
bam peccatum esse, nisi lex dice-  
ret, Non concupisces.
- 7 Et aperte disputat de peccato & mor-  
te totius mundi, per Christum sal-  
uandi, Reus sit (inquit) totus mun-  
dus deo, Quia ex operibus legis  
non iustificatur ullus homo.
- 8 Ceremonialis lex autem solum par-  
uam particulam mundi (puta Iu-  
deos) tenuit.
- 9 Nec ullam legem Ceremonialem al-  
legat

- legat in tanta disputatione.
- 10 Nam Circumcisio, quam allegat, non ex Mose, Sed ex patribus est, Iohan. 5.
  - 11 Ideo maius aliquid est Circumcisio, quam lex ceremonialis, quæ per Mosē cepit.
  - 12 Christus etiam ab initio mundi occisus est pro peccatis totius mundi, antequam ulla Ceremonia esset
  - 13 Quare de lege & peccatis totius mundi ab initio necesse est Paulum intelligi.
  - 14 Qui uero pergunt eum tantum de Ceremoniali lege intelligere, habent necessario concedere, q̄ & tantum de peccato Ceremoniali intelligendus sit, cum lex & peccatum ad inuicem referantur.
  - 15 Ita concedent sequenter, eum loqui de morte seu p̄na peccati ceremonialis.
  - 16 Et Christi gratiam in Paulo esse iustitiam ceremonialem.
  - 17 Qualis lex, tale peccatum. Quale peccatum, talis p̄na, & remissio peccati.

Ira



- 18 Ita sequitur, q̄ Christus sua morte nihil effecerit, quam quod solos Iudeos a lege Ceremoniali redemerit, uel solum ceremonias abrogauerit.
- 19 Et q̄ frustra Iudeis quoq̄ sit mortuus, cum pro peccatis moralis legis non sit mortuus.
- 20 Hoc est, Christus Iudæos, non tam a peccato ceremoniali præterito, quam a futuro liberarit, ne amplius possint peccare, lege scilicet sublata, contra quam possit peccari.
- 21 Ita iustificatio & redemptio Christi aliud nihil fit, quam abrogatio legis ceremonialis, & absolutio Iudeorum ab illa.
- 22 Quo stante, Christus ad gentes nihil pertinet, ut quibus nec lex nec peccatum ceremoniale fuit.
- 23 Et fit Christus plane ociosus, et mors eius inter gentes inanis.
- 24 Frustra tum Paulus inter gentes currit, clamans, Iudeo primum & græco, prædicans illis liberationem a lege

- lege & peccatis eius, q̄ apud gentes non sunt.
- 25 Quin mentiuntur & Paulus & Prophetæ, q̄ gentes, lege, peccatis, morte terrent, & redemptionem per Christum promittunt.
- 26 Cum sciant talia apud suos Iudæos tantum ualere, ut sub lege ceremoniali conclusos.
- 27 Claret ergo, qui Paulum de lege Ceremoniali tantum loqui docent, Christum simpliciter e mundo tollunt cum uniuerso Euangelio.
- 28 Et constituunt nos ipsos, nostri iustificatores, per opera moralia seu decalogum sine Christo.
- 29 Et quid fuit opus filium Dei dari premium pro peccatis, cum leges ceremoniales, homo, sine Christo potuisset prestare?
- 30 Nam sicut homo potest sine Christo capram mulgere, equum pascere, domum ædificare, sicut gentes fecerunt.
- 31 Ita potest etiam sine Christo uestes lauare, cæsariem radere, certis diebus fe-

bus feriari, sacrificia mactare, lampades accendere, sicut fecerunt impij sacerdotes Christi & Prophetarum homicidæ.

32 Non multum dissimile esset, si diceres, Christum esse mortuum, ne sit necesse capram mulgere & alia opera domestica facere.

33 Si ergo Christus est omnium hominum saluator in toto mundo, necesse est Paulum loqui de lege & peccatis omnium hominum totius mundi.

34 Stat ergo, Paulum loqui non solum de morali lege, Sed etiam de tota eius potentia & vi.

35 Quam uim ne intelligit quidem homo animal rationale, multo minus de ea iudicare & docere potest.

36 Vis autem & potentia eius est, occidere seu peccatum æterna morte damnandum ostendere.

37 Vbi uero ceperit homo arguente spiritu hanc uim sentire et intelligere, mox desperat, de Dei misericordia.

B

Despe

- 38 Desperatio autem de misericordia  
Dei est summum peccatum & ir-  
remissibile, nisi gratia reuocet in  
tempore oportuno.
- 39 Ista sunt tum uere illa summa ope-  
ra, quæ homo secundum legem  
Dei moralem facit.
- 40 Hoc est, quod dicit, per legem fieri  
peccatum supra modum peccans,  
Et per legem peccatum me occidit,  
Et lex iram operatur.
- 41 Nunquã peccat homo horribilius, quã  
in eo articulo, quo incipit legem  
sentire seu intelligere.
- 42 Summa, Necessè est, uel intellecta le-  
ge desperare, ignorata gratia Dei,  
Vel non intellecta lege, de seipso  
presumere, contempta ira Dei.
- 43 Illa facit desperabundum Dauid, qui  
dicit, peccaui, proiectus sum a fa-  
cie oculorum tuorum etc.
- 44 Ista facit securum Hypocritam & su-  
perbum Phariseum, qui dicit, non  
sum sicut cæteri hominum, iniu-  
sti etc.
- 45 Hic uenit medius Christus, dicens,  
nec

- nec tibi damnatio, nec tibi salus,  
Sed mihi soli gloria.
- 46 Tu non morieris David, quia tran-  
stuli peccatum tuum in me, Nec  
tu Pharisæe uiues, quia iustitia  
tua est sine me.
- 47 Obtento igitur, Quod Paulus non  
loquatur de lege ceremoniali,  
Sed de uera lege, uerisque legis ope-  
ribus.
- 48 Vicerit causa nostra, & stat sententia  
Pauli, Hominem non legis ope-  
ribus, Sed fide iustificari sola.
- 49 Non enim nos, Sed Paulus electum  
Christi organum, sic audet in to-  
tum mundum fulminare, q̄ ho-  
mo per legem non iustificetur.
- 50 Expectamus exinde a iactatoribus  
legis & bonorum operum, qui-  
bus iustitiam tribui uolunt.
- 51 Ut ostendant uel unum exemplum  
implete legis ab initio mundi, eti-  
am in Ecclesia, usq̄ in finem mun-  
di.
- 52 Ridiculum est in tam seria causa ia-  
ctare bona opera & legis iustiti-  
am &
- B ij

am & tamen nullum exemplum ostendere.

- 53 Hoc enim proprie est in uacuo theatro ludos & res mirabiles uidere, id est insanire & Satanæ ludibrio teneri.
- 54 Nihil facilius est quam ociosum & loquacem Sophistam, de lege & operibus multa garrere, dum interim ipse nec faciat quicquam nec qui faciat, possit ostendere.
- 55 Nos, cum non possint illi suam affirmatiuam probare, ex super abundanti etiam negatiuam probamus.
- 56 Scilicet nullum fuisse, esse, fore, exemplum legis impletæ in ullo sanctorum neq; in tota Ecclesia sancta Catholica.
- 57 Omnium enim Sanctorum & totius Ecclesiæ uox & confessio est, Si dixerimus, nos non habere peccatum, ueritas Dei in nobis non est.
- 58 Et ipse Paulus, Carne seruit legi peccati, Et spiritus Ecclesiarum Galatiæ car-

tiæ carnem aduersantem ferre cogitur.

- 89 Et tota Ecclesia, petens Domini-  
ca oratione, sanctificari no-  
men Dei & remissionem pecca-  
torum etc. hoc ipso fatetur sese  
peccatricem esse.
6. Ex Quibus sequitur nullum etiam  
sanctorum, nedum legistarum  
operibus legis iustificari, multo  
minus operibus proprijs.
6. Hos uaniloquos & phrenapatas sig-  
nat Apostolus, cum dicit, semper  
discentes & nunq̄ ad scientiam  
ueritatis peruenientes.
6. Semper enim de debito fieri cla-  
mant, At de facto esse nihil ha-  
bent nec possunt præstare.
6. At per debitum fieri nemo iustifica-  
bitur aut saluabitur, Sed perfe-  
ctum esse, seu factores legis, sal-  
uandi sunt omnes.
6. Non enim qui dicit, domine domi-  
ne, intrabit regnum coelorum,  
sed qui fecerit uoluntatem patris,  
hic intrabit etc.

B iij

Deus

65. Deus enim serio uult legem suam impleri usq; ad minimum apicem & iota, aut nullum omnino saluari.
66. Referamus hæc in formam syllogisticam, ut apertior sit nostra contra eos expositio & insultatio.
67. Quicumq; uult intrare ad uitam, debet seruare mandata Dei. Sed.
68. Nullus sanctorum seruat mandata Dei. Ergo.
69. Nullus sanctorum potest intrare ad uitam.
70. Maior est manifestæ autoritatis diuinæ, ubi Christus dicit, Si uis intrare ad uitam etc. Qui non fallit neq; mentitur.
71. Minor facile probatur, ex supra dictis, quia omnes sancti sunt peccatores & mandata Dei non seruant.
72. Conclusio est in bona forma consequentiæ, in secundo secundæ deducta & irrefragabilis.
73. Quo nunc ibitur? Hic iustitiarum deprehensio



prehenduntur inter angustias &  
merito redirent ad cor, ut Esaias  
loquitur.

- 74 Nos uero ostendimus exemplum  
legis impletæ certum & fidele, sed  
in unico illo homine mediatore  
Dei & hominum.
- 75 De quo uno & solo Deus dicit, Qui  
peccatum non fecit, nec dolus in-  
uentus est in ore eius, idest legem  
impleuit.
- 76 Et Psal. 30. In libro scriptum est de  
me, ut faciam uoluntatem tuam  
Deus meus, Volui & lex tua in  
medio cordis mei.
- 77 Haud dubium, quia omnes alij non  
fecerint uoluntatem Dei, nec lex  
eius in medio cordis eorum fue-  
rit.
- 78 Voluntas autem illa Dei impleta  
seu Christi implentis, aliud ni-  
hil esse potest, quam ipsa obedi-  
entia Christi, ut Paulus ait, fa-  
ctus pro nobis obediens.
- 79 Qua uoluntate sanctificati sumus  
omnes (ut ille ait) Et per obedi-  
entiam

tiam istius unius, iusti constituuntur multi. Ro. 5.

30 Proinde omnia alia dicta & Exempla scripturæ de lege uel operibus, necesse includunt Christum pro nobis patri obedientem.

31 Et quod nos in per obedientiam Adæ, semel omnes constituti peccatores, nunquam per nos ipsos obedientes fieri possumus.

32 Et ut multa externa faciamus & patiamur, frustra tamen laboramus & sudamus, quia lex Dei non est in medio cordis nostri.

33 Sensus enim carnis, non solum non subicitur iustitiæ Dei, sed etiam odit & est ipsa inimicitia contra Deum.

34 Si nos ipsi potuissemus Deo obedientes esse, seu implere legem, non fuisset opus, ut loco nostrorum omnium, seu pro nobis omnibus Dei filius obediens fieret.

35 Diaboli malitia est, qui nos iustitia seu potius opinione iustitiæ legalis ita uexat & occæcat, ne magnitudi-

nitudinem peccati & mali nostri  
intelligamus, & hinc iram Dei  
contemnamus.

86 Qua non intellecta, certo scit, neq;  
amplitudinem gratiæ & miseri-  
cordiæ in Christo exhibitæ a no-  
bis intelligi posse.

87 Et ita sicut ab initio fuit homicida &  
pater mendaci (hoc est Satan  
Christi) ita non cessat istis ratio-  
nibus aduersari saluti hominum

VVITEBERGAE EXCVDEBAT  
IOANNES LVFFT.

Anno. 1 5 5 5.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

VITTEBERGAE EXCVLDEBAT  
JOHANNES IVLIVS

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.









19. 9. 14. 01

M.C.





**ULB Halle**  
003 740 811

3





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White


3/Color

Black



W. 206. 6

Vg  
914



PRO

POSITIONES DIS-  
putatæ Vuittembergæ,  
pro Doctoratu Eximio  
rum uirorum, D. Hie-  
ronymi Vuesler, &  
M. Nicolai  
Medler.

1 5 3 5.